

1669

P O L E M I C I.

1670

ri mores stetit, amicus fuerit. Atque ad hunc modum se reliquae *Missae* Partes habent, quibus et *Sermo* ejusdem commatis fatirici interjectus est. Adludit ad hanc Satiram *Huffus* in *Resp. ad Scripta M. Steph. Paletz* edit. *Opp.* 1715. P. I. p. 318. eamque *Teutonicis* tribuit.

XLIV. fol. 265. *Sermo in Condempnacione Jeronimi Heretici de Praga.* Incipit: *Supreme trinitatis nomine invocato Pro presenti proposito occurrit mihi Thema &c.* Sermoni subjungitur *Sententia contra Jeronimum Hereticum condempnatum de Praga ignobilem et laycum.* Ad cujus calcem: *Oratio precedens que incipit Supreme trinitatis nomine invocato, est facta per magistrum Jacobum Laudonen. (Laudenf.) Episcopum et Apostolici Pallacij magistrum super condempnacionem Jeronimi de Praga Heretici in Constantinen. Concilio Anno domini Millesimo CCCXVI. die III. (XXX.) Maij.* Apud *Cochlaeum* L. III. p. 132. *Sermo* et *Sententia* junctim leguntur; in *Collect. vero Concill. Labb.* edit. *Venet.* T. XVI. *Sermo* habetur col. 1349. *Sententia* vero col. 409. sed utrobique haec ultima verba *Sententiae* desunt: *Secularis iudicis relinquit arbitrio debitam recepturum pro qualitate tanti facinoris ulcionem efficaciter intercedens, quatenus idem iudex circa mortis periculum suam sententiam moderetur.*

XLV. fol. 270. *Interrogaciones de Constancia.* Faciendae sci-
Denis *Codd. Theol. V. I. P. II.*

licet *Suspectis* de studio erga *Wicleffum* vel *Huffum.* In *Codice* sunt numero XXIII. hoc initio: *Primo interroget, si credit quod quidquid sanctum Concilium uniuersalem Ecclesiam repraesentans in materia (fidei?) approbavit et approbat &c.* sed T. XVI. *Concill.* edit. *Venet.* col. 760. sunt multo plures, nec eodem ordine procedunt.

XLVI. fol. 271. p. 2. *Martini V.* *Bulla Crucata* contra *Huffitas.* Ejus initium: *Martinus Episcopus &c. Omnium plasmatoris Domini, qui se dominici gregis et ut illum sue hereditatis faceret participem in pretium ymolare non abnuuit &c.* Data est *Florencie* kl. *Marcij, Pontificatus* anno *Tercio,* et subscripta: *De Curia. Jo. de Ratingen.* *Integram* exhibet *Cochlaeus* L. V. p. 133.

XLVII. fol. 273. *Decretum Constant. Concilii* de *Ratione* vitandi *Sententiae* aut *Censurae* ecclesiasticae *Subiectos,* quod incipit: *Insuper ad vitandum scandalum et multa pericula, subueniendumque conscientijs timoratis &c.* Atque hic *Codex* opimae frugis mire ferax explicat.

CCCCXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 478
XV. Folior. 344. 4. currente calamo perscriptus Sequentia continet: I. *Traetatum* de V. prioribus *Ecclesiae Sacramentis,* qui incipit: *Ad christi ihesu domini nostri laudem et honorem pariterque*

G g

in

1671

C O D I C E S

1672

in fidei nostre robur et munimentum &c. Scribere mox se ait ignotus Theologus pro Ecclesia, que ab ignitis hodie vexatur serpentibus negociisque tenebras colentibus agitatur. Et paullo post: Pro dei ergo honore, sancte matris ecclesie utilitate et conscientie proprie excusatione inter medios hostes sacrarium ecclesie irrumpentes odijs detractionibus et vite periculis libenter me exponam, electisque dei quorum societatem diligo utcunque per hoc utinam proficiam et ipsam patriam nostram scilicet gentem Bobemicam — ab ipsis erroribus impiissimis — saluam et absoluam. Patriam itaque tenemus, et Errores, ut puto, Picardorum. Cujus vero Partis Autor fuerit, ex iis liquet, quae de Eucharistia adfert fol. 17. p. 2. De ista materia — alij determinarunt priores et presertim Reverendus M. Jacobus de Misa felicis recordationis et diuine memorie. Ideo cui placet istam materiam videat quam fecit publice in scola Vniuersitatis scilicet in Collegio Karoli in lectorio Theologico et hoc factum constat anno Domini 1428. Finis: De reliquis autem duobus (Sacramentis) in posterum dicetur.

II. fol. 37. sequitur, ut e calce petendum, *Traктatus de Ritibus et gestibus et vestibus sacre missae obseruandis.* Anno 1421. Pariter contra Picardos seu, ut quidam volunt, Adamitas, qui circa hoc tempus cladibus a Ziska acceptis inclaruerant. Ad Theobaldam Bell. Hussit. c. 44.

et Cocblaeum Hist. Hussit. L. V. p. 218. Initium: *Cum firma fide credendum est, quod in nouissimis diebus instabunt tempora omnibus temporibus ante decursis periculosa &c.* Finis: *et patet quod ex eius scriptis non possunt fratres suas fantasias fundare aut munire.* Est Job. Przibrami, ut Cod. CCCCXXV. et DCCCII.

III. fol. 48. *Isti Articuli sunt Picardorum et aliorum eos sequentium dampnati et reprobati per fideles Bohemorum.* Non simplex Errorum LXXVI. recensio, sed singulorum refutatio, non, ut ait Noster, *argumentorum subtilitate, quia banc rudes isti ut venenum fastidiunt. nec rationes audire volunt, sed scripture sacre nuda et simplici firmitate, cujus usu non parum illum pollere quivis Lector observabit.* Incipit vero: *Ihesus christus dominus omnipotens qui est deus et scientiarum dominus et qui est laborum merces optima &c.* atque ita de sua in eum fiducia, deque animo contra pericula obfirmato praefatus ad Errores enumerandos, elidendosque descendit. Autorem eundem esse, cui *Traктatum N. I.* positum debemus, iidem loquendi modi *de ignitis serpentibus, negociisque tenebras colentibus &c.* produnt; ejus vero Nomen opportune praefert Codex CCCCXXIV. video enim eos, qui de Scriptoribus in caussa Picardorum seu Waldensium in Bohemia egere, ad haec usque tempora, annum nempe 1420. et 1421. non adscendere. *Articulus porro*

1673

P O L E M I C I

1674

porro I. *Picardis*, quos et *Advenas* adpellat Noster, tributus est: *Quod non sunt tres persone pater filius et spiritus sanctus equales potentia scientia et maiestate in perfecta vna eademque deitate.* II. *Quod ihesus christus non sit verus deus et homo.* III. *Quod panis sacramentalis non est verum corpus christi sed tantummodo panis.* Idem de *Vino.* &c. *Articulus XXV.* *Quod jam nunc scilicet in anno presenti qui est annus domini MCCCCXX. fiet et est consummatio seculi.* XXXI. *Quod in hoc tempore vlcionis quilibet fidelis est maledictus qui gladium suum prohibet a sanguine aduersariorum.* Et sic deinceps multi Articuli sanguinari, ut XXXV. *Quod iam nunc in hoc anno vlcionis succisionis et retribucionis pragensis ciuitas velut babilon debet destrui et comburi.* XXXVI. *Quod iam isto tempore vlcionis nemo saluari possit — nisi in congregacione moncium corporalium et cauernis petrarum, vbi fideles sunt modo congregati.* &c. *Taboritas et Waldenses* junctos haec et similia praedicasse habes in *Laur. Brzezinae Diario Belli Hussit. T. VI. Reliq. Mss. Ludewigii p. 155. et seqq.* Nihil vero in *Articulis* nostris de *Mulierum* communione et nuditate *Adamitica*; unde adparet, fluctuasse *Picardorum* nomen, variisque Sectis, ut indutrii sunt *Polemici* in compellendis *Aduersariis*, impositum fuisse. Id quod queritur *Job. Lastitius* in *Memorab. FF. Bobemorum C. 2. Amst. 1660. p. 18.*

8. Et reuera quid horum manufuetudini cum *Taboritarum* furore?

IV. fol. 81. p. 2. *De Usuris*, ut in calce, *publicis et occultis.* Anno M^o. CCCC^o. XXI^o. Initium: *Licet usura in bona significatione capiatur pro dispositione supernaturali qua fideles secundum dona concessa mercantur regulariter ad dei beneplacitum &c.* Adlatis dein contra usuram in malo acceptam variis *Scripturae* locis exercitam tamen eam fuisse ait in hac magna pragensi communitate ab antiquo nimis profunde et multipliciter. Itaque quid in hoc negotio fas, quid nefas sit, explicat, et finit: *eo acutius student hanc palliare iniquitatem quo apertius et vniuersaliter probibita est christianis quam iudeis. Amen.* Autor non indicatur.

V. fol. 92. p. 2. In nomine domini incipit sancta Sinodus habitata et rite celebrata de anno domini MCCCCXXI. die VII. mensis iulij In Inclita Ciuitate Pragensi sub Conbrado Archiepiscopo &c. Conciliabulum istud, cui praefuere *Job. de Przibram, Procop. de Plzna, Jac. de Misa* et *Job. de Nova Civitate*, paucissimis mutatis legitur apud *Cochlaeum Hist. Hussit. L. V. p. 186.*

VI. fol. 97. *Propetae Majores et Minores* e *Versione Vulgata* cum *Prologis Hieronymi*, et ad calcem: *Scripta sunt hec Prage sub anno domini M^o. CCCC^o. XXI. immediate proxima feria tertia post festum pasce.*

G g 2

VII.

1675

CODICES

1676

VII. fol. 229. *Glossae in XII. Prophetas Minores.* Sine Autoris nomine. Scriptae, ut ad calcem dicitur: Anno 1422. Verum Scriptor ea, quae in *Osee C. II. a v. 14. usque ad v. 16. C. VII. dicuntur, transcurrit, et animadverso errore postmodum a fol. 325. p. 2. usque ad finem Cod. subnexuit.*

CCCCXXIV.

538

Codex chartaceus lat. Sec. partim XV. partim XIV. Folior. nunc 107. 4. commode scriptus, rubricisque distinctus haec complectitur: I. absque Titulo Tractatum de prioribus V. Sacramentis, qui incipit: *Ad christi ibesu domini nostri laudem et honorem &c.* ut *Codd. CCCCXXIII. et DCCCII.* cumque ad priorem notaverim, Autorem hujus et mox sequentis Tractatus eundem videri, hic quoque de *Sacramentis* Tractatus anonymus esse definit.

II. fol. 30. sequitur Tractatus, ut e calce praecerpo, contra errores diuersos et opiniones falsas pro nunc occurrentes et per ypocrisim defensatos reportatus per *Wenceslaum de Podyebrad sub Anno domini M^o CCCCXX. Omoufyon miserere mei.* Articulus *Picardis Bobemicis imputatos LXXVI.* obpugnandos sibi fuit Noster, ita exorsus: *Primus articulus. Quod non sunt tres persone scilicet pater filius et spiritus sanctus equales potentia scientia et maiestate in perfecta una eadem-*

que deitate. Quod autem iste Articulus sit hereticus patet ex fide scripture *Gen. 1^o.* ubi dicit. *In principio creavit deus celum et terram &c.* Veritas hebraica habet *In principio creauit beloym. i. dij celum et terram &c.* Ab hoc itaque Exemplo. abest *εἰσαγωγή*, quam ad *Cod. CCCCXXIII.* indicavimus. In *Articulum 35. de Praga* excindenda fol. 65. p. 2. ita commentatur: iniquitatem maximam esse matrem ciuitatum in *israel.* ciuitatem literarum (*Jof. c. 15. v. 15.*) matremque veritatis eicere. que huius modi pseudo sompniatores veritatem noscere docuit et in omni ingenio — fouit et educauit. In illam ergo hoc cogitare fuit in toto deficere. — Quod autem scribentes et docentes vocauerint eam *Babilon* saluo timore Christi recte mentiti sunt in caput ipsorum, cum sit *ierusalem* super quam invocatum est nomen fortissimi dei. Ita ut *XL. principes et gentem de tot regnis collectam innumere multitudinis fidelibus lacrimis deuotisque orationibus superauerit. et viriliter stans et resistens usque in finem effugauerit et in alio bello miraculoso XVIII^o.* (anno?) *Barones una cum multitudine hostium interfecit. Et fortissimum castrum wifegraden. debellauit. quod non eius. sed dei fortissima misericordia super ipsam invocata effecit.* — Quod autem in ea oderunt domos et alta edificia. hoc est ab ipsorum perfidia, cum scriptura sacra commendat *Jozaphat &c.* qui videlicet domos ad instar turrium urbesque